

cuj^o gratia sapiens imperat, reliquis scientiis im primis Theoreticis debeat esse bonū in universā natura optimum seu id, cuius gratia tota movetur natura, quod DEus est, finis siquidem rerum erit etiam finis cognitionis Theoreticæ. §. Quod caussa finalis, sive id, cuius gratia reliqua fiunt vel mouentur, sit primum reliquorum principium, & caussa prima eorum, quæ sunt vel moventur ejus caussā, qualis caussa imprimis cognosci debet à sapiente secundum primam opinionem datam.

§ 9. Unde cum Philosopho colligitur in unam & eandem scientiam cadere nomen Sapientiæ, eamq; DEum, qui finis est & principium motus rerum omnium, imprimis cognoscere, ὁ, τε γὰρ θεός, δοκεῖ τὸ αἴτιον πάντων εἶναι καὶ ἀρχὴ τις.

§. 10. Nec est, ut dicatur, Aristotelem de principiis complexis tantum loqui; Diversum enim ex citatis manifestè constat, & ex aliis locis, imprimis verò ex lib. 3. Metaph. c. 2. Ubidenuò quæritur, utrum unius sit scientiæ an plurium, 1. finem considerare & bonum, cuius gratia sint reliqua omnia, juxta sextam Sapientiæ conditionem. 2. Substantiam utpote quæ maximè sit scibilis, & prima caussa, cum reliqua per substantiam definiantur & sciantur, & 3. Primum motus principium, quale nos Caussam Efficientem appellamus, & 4. Principia demonstrativa seu axiomata, quæ prima principia complexa dicuntur.

ASSERTIO III.

Sapientia seu Philosophia prima & absolutè ita dicta considerandam sibi postulat Substantiam immobilem, & à
Mate-